

ficia parochialia liberæ collationis, quæ conferuntur in titulum, ne diu vacare debeant, receptum est, ut a Vicario Capitulari intimetur concursus, et a S. Sede inter approbatos eligatur dignior, cui ipsa S. Sedes beneficium conferat. *Const. Bened. XIV. 'Cum illud'* diei 14. Decembr. 1743. Si autem parœcia non conferatur in titulum, sed deputetur ad gerendam curam animarum Vicarius ad nutum, deputatio fieri poterit a Vicario Capitulari.

57. Si sermo sit de collatione non libera, id est de institutione ad beneficium post præsentationem patroni vel laici vel ecclesiastici, poterit eam concedere Vicarius *cit. c. 1. de Inst. in 6.* necnon poterit conferre beneficia ad alterius electionem conferenda, prout eruitur ex *cit. Reg. 2. Cancellariæ.* Idem etiam dicendum esse docent Auctores si beneficium ex aliquo privilegio concedendum sit certæ personæ ex. gr. nominato academico alicujus Universitatis. Pariter conferre poterit Capitulum cum Vicario suo beneficium, cujus collatio sede plena, competit Episcopo et Capitulo cumulative. Hoc enim in casu ne Capitulum in jure suo decrescat, potius tenendum est jus Episcopi deficientis accrescere eidem Capitulo. Quod principium non sustinetur, quoties Episcopus solus conferat, sed teneatur consilium Capituli exposcere vel consensum *cap. un. Ne Sede vacante in 6. § Cum vero.*

58. 2º. — Cum Ecclesia destituta pastore viduæ et pupillo æquiparetur, cumque tutoribus et curatoribus in genere interdicta sit alienatio bonorum, Vicarius Capitularis non potest alienare bona sive Ecclesiæ sive mensæ Episcopalis *can. 62. caus. 12. q. 2. S. Congr. EE. et RR. in una Pontiscurvi* diei 14. Juni 1788. *Collect. Bizzarri pag. 44.*

59. 3º. — Cum ea quæ sunt ordinis episcopalis derivent a characterem quem proprium habet Episcopus, nec habet communem cum Capitulo, sequitur eadem non transire in Vicarium Capit. At Glossa ultima in *c. Dilectus de Off. Ordin. juxta Canonem Interdicimus c. 16. q. 1.* notat collationem Ordinum et Sacramentorum esse de lege jurisdictionis: quia scilicet omnis actus ordinis ut legitime ponatur, ab illo poni debet, qui, præter characterem, etiam jurisdictione ad illum ponendum munitur. Unde Episcopus in aliena Diœcesi ea quæ sunt ordinis episcopalis absque venia Ordinarii localis nequit peragere. Quare Doctores tradunt Capitulum et hodie ejus Vicarium posse concedere extero Episcopo facultatem in Diœcesi exercendi pontificalia, idest officium solemniter celebrandi,

ecclesias consecrandi, conferendi ordines. Cfr. *Fagnan. com. in c. His quæ 11. De Majoritate et Obedient. nn. 64. et 65.*

60. 4º. — Potest Vicarius Capitularis literas dimissoriales suis subditis concedere, ut ab Episcopo alieno ad Ordines promoveantur *c. 3. de Tempor. Ordin. in 6.* Hanc potestatem vero limitavit Tridentinum *c. 10. sess. 7. de Ref.* ubi statuit, a Capitulo, et per consequens ab ejus Vicario, concedi non posse licentiam et literas dimissoriales Clericis diœcesanis ad ordines recipiendos, nisi post annum a die vacationis Sedis sub pœna ecclesiastici interdicti contra concedentem licentiam, et privationis privilegiorum ecclesiasticorum contra ordinatum, si agatur de ordinato in minoribus, et suspensionis ad arbitrium novi Episcopi duraturæ contra suscipientem ordines majores. In *sess. 23. autem c. 10. de Ref.* contra concedentes litteras dimissoriales decernit Tridentinum pœnam suspensionis ab officio et beneficio ad annum ipso facto incurrendam. Exceptio autem duplex datur: 1ª. exhibetur a s. Congregationis Conc. responso a Garzia *De Benef. p. 5. c. 7. n. 93.* relato per hæc verba 'Congregatio censuit textum hunc (*c. 10. sess. 7. de Ref.*) non comprehendere primam tonsuram'. Quare quoad primam tonsuram dimissorias statim poterit concedere Vicarius.

61. 2ª. Exceptio in *cit. cap. 10. sess. 7. Tridentini* legitur quoad arctatos ad ordines ratione beneficii. Arctatus autem quis est vel ratione beneficii suscepti, si videlicet infra annum teneatur ordinem aliquem suscipere; vel suscipiendi, si nempe aliquis sit a patrono præsentatus ad beneficium quod actu requirit ordinem sacrum, ac proinde teneatur ordinem suscipere antequam in beneficio instituatur. Utriusque generis arctatis potest infra annum Vicarius Capitularis concedere dimissoriales literas ut ordinentur. Immo a S. Congr. EE. et RR. petentibus Vicariis Capitularibus solet tribui facultas concedendi literas dimissoriales etiam reliquis clericis infra annum luctus. Transacto autem integro anno a die vacationis sedis, Vicarius potest concedere literas dimissoriales omnibus subditis qui cupiunt recipere ordines. Verum rigore juris exceptio facienda esse videtur pro illis qui ex titulo patrocini vel pensionis desiderant ordinari. Nam *Conc. Tridentinum sess. 21. c. 2. de Ref.* titulum pensionis vel patrimonii solummodo agnovit tanquam subsidiarium, et Clericos ex eodem titulo ordinari posse tantummodo quos ob necessitatem ministrorum vel ob utilitatem ecclesiarum assumendos esse Episcopus judicaverit. Dixi 'rigore



juris' inspecto. Nam 1<sup>o</sup>. notat *Barbosa* in *Summa Const. Apost. Dec. 5. c. Sede vacante n. 12.* hanc exceptionem non esse ubique usu receptam. 2<sup>o</sup>. Hodie ceu optime notat *De Angelis h. t. n. 21. pag. 105.* vix dubitari potest de necessitate aut utilitate ecclesiarum, ob defectum beneficiorum et-ob decrescentem in dies numerum clericorum qui in vinea Domini operam suam præsent. — Cum vero abusus obrepissent, S. C. EE. et RR. die 7. Sept. 1701. jussu Clementis XI. vetuit Vicariis Capitularibus Regni Neapolitani in Italia, quominus etiam post annum vacationis Sedis concederent literas dimissoriales ad primam tonsuram et ordines suscipiendos absque speciali licentia s. Congregationis ejusdem. *Bizzarri Collect. p. 373.* Hanc prohibitionem De Angelis dicit extensam fuisse etiam ad Dioceses subalpinae ditionis. Unde Vicarii Capitulares in hisce regionibus etiam hodie solent facultatem opportunam exposcere a prædicta s. Congregatione.

62. Quæritur quid dicendum si Vicarius Capitularis fortasse sit caractere episcopali insignitus: poteritne actus ordinis episcopalis peragere? Quamvis hæc quæstio a Doctoribus communiter non pertractetur, tamen ex notis principiis juris, hæc teneri posse videtur sententia; ut nempe quoties potest Vicarius extraneo Episcopo licentiam concedere juxta dicta superius ad actus potestatis ordinis exercendos sive in Diocesi, sive quoad Clericos Dioceseseos ordinandos, possit per seipsum eosdem actus ponere. Hinc ex. gr. infra annum vacationis Ecclesiæ non poterit ordines conferre nisi arctatis, poterit vero post annum vacationis Clericos indiscriminatim ordinare. Ratio est: quia qui aliquid potest facere per alios, ceteris paribus, a fortiori per seipsum facere potest. Nunquam tamen admitterem, Vicarium Capitularem caractere episcopali munitum in actibus pontificalibus exercendis posse cathedram episcopalem conscendere, ibique sedere. Cathedra enim propria est et exclusive Episcopi diocesani.

63. 5<sup>o</sup>. — Quæri potest an Vicarius Capit. possit Diocesim visitare. Respondemus utique posse sed post elapsum annum ab ultima visitatione peracta ab Episcopo. Ita auctores communiter et sæpius docuit s. *Congr. Conc. ex. gr. in Ostunen. 28. Julii 1708.* et firmiter discusso dubio tum quoad visitationem locorum tum quoad visitationem personalem capitulorum, die 13. Sept. 1721. ad utrumque respondit posse Vicarium Capitularem eam exsequi dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab Ord-

nario. Hasce resolutiones refert *Bened. XIV. De Syn. Dioc. L. 2. c. 9. n. 6.* Præterea sciendum est, in *cit. causa Ostunen.* propositis dubiis circa jus procurationum solvendarum Vicario Capitulari, s. Congregationem tenuisse procurationes spectare ad Vicarium Capit. pro medietate, ita tamen ut ultra procurationem Vicarius recipere non possit cibaria, equitatus vel alia donaria, et si receperit, debeat eadem restituere. Ita in opere cui titulus *Canones et Decreta Conc. Tridentini* edit. Neapolit. an. 1859. *sess. 24. de Ref. cap. 16. n. 14. pag. 374.*

64. 6<sup>o</sup>. — Cum vero Dioceseseos visitatio quotannis ab Episcopo complenda connectatur cum celebratione synodi pariter perficiendo singulis annis, ab auctoribus disciplina quæ de prima statuitur, et synodo applicatur. Hinc docent posse Vicarium Capitularem synodum diocesanam convocare eique præesse post elapsum annum ab ultima synodo celebrata ab Ordinario qui nuper cessavit ecclesiam regere. — Non idem vero dicendum de provinciali synodo. Indecens enim esset Vicarium Capit. Metropolitanæ Ecclesiæ potestatem exercere posse supra veros et ordinarios Episcopos, eosque in Synodum cogere. Quare vacante sede Metropolitana, ex mente *Conc. Tridentini s. Congr. Conc. in Tarraconen. 10. Febr. 1624.* decrevit jus Provinciale Concilium indicendi et celebrandi (nempe præsidendi) Sede vacante, non ad Capitulum Metropolitanum sed ad antiquiorem provinciæ Episcopum pertinere.

65. Si quærat utrum Vicarius Capit. possit Clericos extraneos Diocesi adscribere, vulgo incardinare, et Clericis diocesanis licentiam dare exeundi, eosque ut ajunt excardinare; respondet De Angelis, primum posse peragere Vicarium facultate expedita, secundum vero non posse sine licentia Sedis Apostolicæ; eo quia excardinatio refert speciem alienationis, quæ Vicario Capitulari non permittitur.

66. Quæstio non inutilis pertractatur a *Bened. XIV. De Syn. Dioc. Lib. 2. c. 9. n. 7.* circa potestatem ordinariam Episcoporum concedendi indulgentias quadraginta dierum, an scilicet hæc potestas transeat in Vicarium Capitularem. Et videretur transire, etenim ex dispositione *c. 4. de Pœn. et Remiss. peccat.* potestas concedendi indulgentias non ad ordinem pertinet, sed ad jurisdictionem, et post Abbatem plures Auctores laudabilis notæ affirmativam sententiam tuentur. At ex plurium Doctorum sententia et ex responsione S. C. C. saltem in praxi contra tenendum est.



Nam s. Congr. die 13. Nov. 1688. interrogata an 'Vicarius Capit. Sede vacante, facultatem habeat concedendi indulgentias, quas cæteroquin concedere posset Episcopus vivens' respondit 'Vicarius Capit. se absteineat'. Qua responsione licet in abstracto quæstionem juris resolvere noluit; tamen vetuit ne opinio auctorum tribuentium Vicario Capit. facultatem concedendi indulgentias in praxim deduceretur. Ratio autem videtur esse: quia indulgentiarum elargitio non censetur necessaria ad regimen Ecclesiæ, quod Vicarius ad tempus administrat. Præterea concessio indulgentiarum potest recenseri inter actus gratiosos, qui proprii sunt Episcopi.

67. Auctoritas Vicarii Capitularis perdurat quoadusque Sedes consideratur uti vacans, idest quoadusque Ecclesia non fuerit provisiva de novo Episcopo. Hodie vero post *cit. Const. Pii IX. Romanus Pontifex* non antea cessat jurisdictio Vicarii Capitularis quam novus Episcopus Capitulo, vel, deficiente Capitulo, ei qui Diocesim vacantem administrat, exhibuerit Literas Apostolicas de colato sibi Episcopatu. Huic porro novo Episcopo si velit, non autem Capitulo, Vicarius Capitularis tenebitur rationes reddere administrationis gestæ tempore sedis vacantis *c. 16. sess. 24. de Ref. in Tridentino*, et tenuit *s. Congr. EE. et RR. in Cajetana* 31. Jan. 1600. et *in Hydrantin.* 19. Maj. 1623. (*Collect. Bizzarri pag. 662.*)

68. Quo posito quæstio proponi potest circa casum quo ipse Vicarius Capitularis eligatur seu nominetur ad Episcopatum; idest an ante confirmationem possit prosequi suam in Diœcesi administrationem. Videretur non posse. Nam *c. 17. De Elect.* declarantur irrita ea quæ geruntur ab electo qui ante confirmationem sese immiscuit in Diœceseos administrationem. Immo in *c. 5. de Elect. in 6.* electo interdicitur administratio Diœceseos sub quocumque titulo œconomatus vel procuratoris nomine; quod confirmatur in *Const. cit. Pii IX. Rom. Pontifex.* At dicendum est hæc loca juris non sese referre ad casum Vicarii Capitularis, qui prosequatur administrationem Diœceseos; bene vero respicere extraneos electos, qui vi tantummodo electionis ante canonicam confirmationem præsumant jurisdictionem sibi arrogare. Ad quorum fraudes præcavendas vetuit *Gregorius X. in c. 5. de Elect. in 6.* ne electus quocumque colore, etiam nomine procuratorio Capituli Diœceseos habenas suscipiat. Qui plura desiderat consulat *cit. opus 'Canones et Decreta Conc. Tridentini'* accedunt declarationes et resolutiones *sess. 24. c. 16. de Ref.*

### De Vicario Apostolico.

69. Etiam antiquitus vel mittebatur, vel Episcopus alicujus insignis Sedis constituebatur Vicarius Apostolicus; qui nempe potestatem consequeretur ab ipso summo Pontifice, exercendam etiam supra Episcopis. Verum ut plurimum hi confunduntur cum Legatis sanctæ Sedis, de quibus inferius. Vicarius Apostolicus de quo hic loquimur ille est qui ex commissione speciali Pontificis ad aliquam regionem mittitur, in qua ceu Episcopus potestatem exerceat ad nutum Pontificis, et intra limites mandati Apostolici. Porro hujus generis Vicarii præsertim mittuntur ad illas regiones in quibus ecclesiastica hierarchia vel nunquam fuit instituta, vel si fuerit aliquando instituta, tamen ob hostium Christiani nominis imperium cessavit. Hinc quamvis caractere episcopali soleant decorari, tamen non obtinent episcopalem titulum loci ad quem destinantur, sed recipiunt titulum alterius Sedis antiquæ in qua proprius Episcopus non amplius residet, et vocantur hodie Episcopi titulares, dum antea vocabantur Episcopi in partibus infidelium. Vicarii hujusmodi in regionibus sibi commissis exercent munia omnia episcopalia. Hinc non solum jurisdictionis, sed et Vicarii in divinis dici debent. A s. Congregatione de Propaganda Fide summo Pontifici ordinarie præsentantur, et per eundem recipiunt apostolicum mandatum in quo limites potestatis et privilegia præfinitur.

70. Mittuntur Vicarii Apostolici etiam in loca in quibus extat ecclesiastica hierarchia; et si mittantur Sede plena, generatim mittuntur ut adjuvent Episcopum cui subsunt. Mittuntur etiam ut Diocesim administrent, dum Episcopo interdictum est potestatis suæ exercitium, vel Sede vacante ut ad tempus ceu administratores Apostolici regant Ecclesiam. De hisce agit *Sixtus V. in Constit. 117.* in qua statuit hosce Vicarios mitti per literas apostolicas in forma Brevis, in quibus potestatis tenor et limites determinantur. Aliquando etiam cum prævidentur dissidia inter Capitulares in electione perficienda Vicarii tempore Sedis vacantis, Vicarius Apostolicus designatur, qui supplet vices Vicarii Capitularis, quique proinde eandem habet potestatem, quam in jure habet Vicarius Capitularis. De Vicariis Apostolicis agit *Benedict. XIV. De syn. Diœc. Lib. 2. c. 10.*